



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXXII. Cum singula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

170. ff. & docui lib. 1. tract. 1. c. 5. n. 21. neque cogitur possessor rem tradere petitori in causa dubia, & non demonstrata, prout hic Ancharan. monet ex c. inter. in fine. de fide instrumentorum, cum enim obsecra sunt jura partium, contra eum, qui petitor est, judicari consuevit.

2 Notandum secundò. Si duæ potestates concurrant cum jure præventionis, & nesciatur, utra prævenit, attendi debet prærogativa potioris, seu superioris; sic Papa in conferendis beneficijs concurrat nonnunquam cum inferioribus ordinarijs collatoribus, similiter & Legatus à latere, ita ut inter eos, spectato communi jure, præventioni locus sit, atque is provilus jus acquirat, cui prius collatio facta fuit, uti docui lib. 4. tract. 2. c. 10. n. 2. sin autem dubium sit, utra prius facta fuerit, ejus collatio præferenda, qui majore conferendi potestate fungitur, ita ut beneficia sibi etiam reservare possit, videlicet Papa, & Legatus à latere, prout supra dictum in c. 2. & c. hi, qui 12. hoc lib. & tit.

3 Corollarium primum. Si Vicarius generalis per potestatem ipsi ab Episcopo specificè indultam, beneficium vacans contulerit Cajo, & Episcopus Titio, nec sciatur, uter prævenit, præferenda est collatio Episcopi, eò quòd potestas in Episcopo major, & potior sit, Vicarij autem dependens, cui proinde Episcopus derogare potest. *argum. c. dudum 14. §. nos igitur hoc lib. & tit. & docui in disput. de jurisdictione ordinaria con. 99. & monet hic Franc. n. 4.*

Corollarium secundum. Cum Camera Spirensis secundùm communiorem sententiam in jurisdictione concurrat cum Cæsare, seu Cæsarea Aula, & detur locus præventionis, ideò si in aliquo casu dubitetur, num in Cæsaris aula, an in Camera jurisdictione prius cæpta, seu præventa sit, pro Aula pronuntiandum erit ob majorem, & superiorem ejus prærogativam, siquidem in Cæsare residet jurisdictione tanquam in fonte, & origine, atque secundùm plenitudinem potestatis, in Camera autem secundùm

derivationem ac participationem. Quia de re Thomas Baumajster de jurisdictione Imperij Romani lib. 2. c. 4. n. 20.

CAPITULUM XXXII. Cum singula.

PARAPHRASIS.

Quia officia singula singulis personis committenda sunt, & dissolutionis atque revagationis materia, Religiosis antea illius, auferenda, ideò prohibet Bonifacius VIII. ne Monachus, aut Religiosus aliquis, pluribus Prioratibus, aut Ecclesijs curam animarum habentibus, licet ex per Presbyteros Vicarios, Episcopo præsentandos, & ab eodem institutos administrari soleant, sine Apostolicæ Sedis licentia præesse præsumat; sin autem Religiosus Prioratum, aut curatam Ecclesiam obtinens, aliud simile beneficium recipiat, prius, cum eo privatus existat, ipso jure statim dimittere debet, ut ab eo, ad quem id pertinet, alteri liberè conferri possit; quod si non fecerit, ex eo tempore ineligibilis factus sit, & tanquam ambitiosus ab utroque beneficio amoveatur. Quod verò attinet ad eos, qui tempore hujus editæ constitutionis plures prioratus, vel Ecclesiarum curam animarum habentes obtinebant, decernitur, ut intra mensem à notitia hujus constitutionis accepta numerandum, unum ex ijs, alijs dimissis, sibi eligant, alioquin nisi fecerint, eisdem, quæ supra dicta sunt, pœnis subjaceant.

SUMMARIUM.

1. Ut singula officia Ecclesiastica singulis conferantur, consultum ac decens est.
2. Hoc capitulum specialiter de Religiosis, qui plura curata, v. g. personatum, & dignitates obtinent, agit.

Notandum primò. Consultum, ac decens est, ut Ecclesiastica officia singula singulis committantur, non autem unum plura,

plura, quia, uti dicitur in c. 2. de Clericis non residentibus, vix unum officium rectè implere quis sufficit. Consentit c. 1. dist. 89.

Notandum secundò. Quod in Capitulo de multa 28. hoc tit. universim decretum est, ne quisquam plures Ecclesias curatas, personatus, seu dignitates obtineat, id specialiter hic de Religiosis, sub iisdem, & alijs pœnis cavetur, prout iterum dicam in §. sequente.

§.

Prohibemus.

PARAPHRASIS.

Prioratus, Ecclesiæ, administrationes, & officia unius monasterij, quæ per eundem Monachos gubernari consueverunt, non debent sine Sedis Apostolicæ auctoritate alterius monasterij Monachis committi, & quæ hæcenus commissa sunt, dimitti debent, ut per eos, ad quos pertinet, liberè conferri, & ordinari possint; propterea, quòd Monachis in diversis monasterijs, quorum unum ab altero non dependet, locum habere non liceat, neque prioratus, Ecclesiæ, administrationes vel officia aliorum monasteriorum (nisi ad ea canonicè transferantur) gubernare. Qui verò contra hoc decretum agentes in posterum alienis Monachis prioratum, administrationem & commiserint, vel commissam reliquerint, ij in pœnam, eâ vice, potestate ordinandi, seu committendi privati sint, eaque ad diocesanum, si monasteria non exempta, alioquin ad Sedem Apostolicam devolvatur: ij autem Monachi, qui contra eandem constitutionem prioratus, Ecclesiæ, administrationes vel officia alieni monasterij susceperint, vel jam suscepta non dimiserint, ipso jure ineligibiles existant.

SUMMARIUM.

1. *Suas singula monasteria proprias præ-*

laturas, & administrationes, suis Religiosis conferendas, habent.

2. *Explicatur doctrina hæc.*
3. *Neque potest unus duorum monasteriorum esse professor.*
4. *Nisi duo quidem sint monasteria, unum tamen ab altero dependens, sub unius Rectoris cura.*
5. *Et hinc Monachus ad aliud monasterium translatus, ut fiat hujus Abbas, vel Professor, prioris monasterij jus amittit, quamvis sit ejusdem Ordinis.*
6. *Cogit tamen non potest Monachus ab Abbate, ut ad aliud Ordinis ejusdem monasterium se transferat.*
7. *Neque possunt ad unum solius Abbatibus ad aliud monasterium transferri bona v. g. taliter in monasterio professe.*
8. *Utrum etiam hæc dicta locum habeant in Canonis Regularibus?*
9. *Utrum Capitulum generale, de uno monasterio in aliud, ut transeat Professor, cogere possit?*
10. *Utrum ab Ordinis non mendicantis Generali fieri possit hæc coacta translatio?*
11. *Alicujus monasterij Professor, qui beneficium, vel administrationem alterius monasterij Professor confert, eâ vice privatus existit jure conferendi.*

Notandum primò. Monasteria singula proprias prælaturas, administrationes, jura, & titulos habent, quæ non sunt communicabilia alijs monasterijs; neque dari possunt Monachis, seu Regularibus alterius monasterij, sine licentia Papæ, tametsi ejusdem Ordinis ac Regulæ sint. Ita ex communi Anchoran. hic not. 6. Franc. not. 2. Navarr. in commentario 4. de regularibus, seu stabilitate, & transitu eorum n. 23.

Pro majore intellectu adverte primò, sicuti in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs, sunt Præposituræ, Personatus, & beneficia secularia Clericorum, ita in monasterijs sunt Prælaturæ, Personatus, & beneficia

ficia regularia Religioforum, videlicet Abbatia, Præpositura, Prioratus regularis; sed & Canonici regularis Ecclesiasticum beneficium est, secundum *Gl. receptam in Clement. 2. V. beneficijs. de iudicijs. Navarr. in comment. cit. n. 25.* ubi ait, etiam Monachatum beneficium simplex esse.

Hinc sequitur primò. Quòd Monachus seu Professus in duobus monasterijs esse non possit; ut hîc dicitur, & in *c. ult. de Religiosis domibus.* nam Monachus professionem facit, ac veluti spirituale matrimonium contrahit erga hoc monasterium, ei se totaliter tradens, tanquam possessio quædam, ac vicissim monasterium sibi obligans, sicuti ex communi docet *Abb. in c. non est. n. 3. de regular. consequenter non potest jus ac titulum in diversis seu distinctis monasterijs habere, prout his ipsis allegatis juribus tradit Navar. cit. n. 23.* quia si Religiosus, inquit, duo beneficia sui Ordinis in titulum haberet, in duobus Monasterijs, esset sub diversa obedientia, contra *c. ult. de Religiosis domibus.*

Sed excipi debet cum eodem Navarro ibidem, & traditur in hoc capitulo, *juncta Gl. V. annexi.* nisi duo sint monasteria, quorum unum ab altero dependet, & unius Rector seu Prior alterius monasterij Abbati subjectus sit; tunc potest Religiosus in utroque jus collegij habere, ut in uno sit Prior, in altero Professus. Quæ de re dixi in *disput. de Prelatis. q. 202.*

Sequitur secundò. Quòd Monachus ex suo monasterio translatus, ut fiat Professus, vel Abbas alterius monasterij ejusdem Ordinis, hoc ipso amittit jus, ac titulum in priore monasterio, ita ut desinat esse membrum alterius, & incipiat esse membrum posterioris monasterij, prout docui in *cit. q. 8.* & notat *Gl. recepta in c. constitutis 47. de electione V. vocem.* ubi ait, per eum textum reprobari illorum Monachorum intentionem, qui translati ad aliud monasterium, volebant prioris monasterij jura retinere, atque electioni Abbatis, tanquam capitulares, interesse, quod ta-

men impossibile sit, cum nullus esse possit Monachus in duobus monasterijs, neque Abbas duobus monasterijs præesse.

Sequitur tertio. Quòd Monachus cogi non possit ab Abbate, ut ad aliud ejusdem Ordinis monasterium se transferat, sicuti docui in *cit. q. 202.* & tradit *Navar. cit. loco n. 22.* ubi probat id, quia sicut beneficiarij sæculares non possunt cogi ad relinquenda beneficia sine culpa ipsorum, ita nec regulares à jure monasterij, in quo professi sunt, & alimentis inde debitis avelli; sed neque volens transferri potest ad aliud monasterium ex mero arbitrio, cum votum professionis, quod cum loci stabilitate editum aliquo modo relaxetur, quod sine causa fieri non debet, nec sine superioris auctoritate, uti videre est apud *Dominic. hic & Franc. n. 3. & 4. Abb. in cit. c. non est. n. 6.*

Sequitur quarto. Quòd jura & bona monasteriorum arbitrato Abbatum ab uno ad alterum monasterium transferri non possint, est enim hæc alienatio, quæ, nisi ex justa causa necessitatis, vel utilitatis propriæ Ecclesiæ, & cum certis solemnitatibus fiat, prohibita est & irrita, ut *infra hoc lib.* quæ etiam causa est, quòd per professionem Monachi omnia eius bona monasterio incorporantur *auth. ingressi C. de S. S. Ecclesijs,* & omnia bona, quæ postea Monacho contractu, aut hæreditate acquiruntur, eidem monasterio suo incorporantur. Sin autem ad aliud monasterium legitime translatus sit, tunc ex eo tempore, omnia per Monachum acquiruntur monasterio secundo, uti docet *Abb. in c. quod ad te n. 8. de Clericis conjugatis. Navar. in cit. comment. 4. n. 24. versu 11.*

Sed quaeritur primò. Quæ in hujus capituli §. & à me dicta sunt de Monachis, num locum etiam habere debeant in Regularibus Canonicis. Affirmandum est, prout hîc insinuant *Dominic. col. 2. Franc. n. 2.* quando aiunt in *hoc cap.* non agi de Clericis seu Canonicis sæcularibus, supponentes agi etiam de Canonicis Regularibus, & explicitus

expressius tradit *Navar. in comment. 3. de regularibus n. 43. versu tum quia*, ubi generalem verissimam regulam tradit, & pluribus exemplis confirmat, quod ea, quæ in jure de Monachis decernuntur, quamvis alioquin odiosa sint, etiam Regulares Canonicos, aliisque Religiosos comprehendant, si in iis eadem ratio locum habeat, sicuti in proposito, quandoquidem Regulares Canonici, non minus, quam Monachi professionem edunt cum stabilitate loci, atque in monasteriis suis jus Collegii, atque cuiusdam beneficii obtinent.

9. Quærit secundo *Navarrus in cit. commentario 4. n. 22. versu 2.* Quod si Monachi aut Regulares Canonici in congregationem seu capitulum generale redacti sint juxta formam *c. penult. & ultimi de statu Monachorum*, num possint fieri coactiones, & facultates transeundi de uno monasterio, in aliud monasterium eiusdem Provinciae. Ad quod breviter respondeo, inquit ipse, quod non, quia dispositio illorum capitulorum, de statu Monachorum, non extendit se ad hoc, neque præcipit, quod sit, aut fiat aliquis Generalis eorum, imò expressè disponunt, ut Superiores eorum remaneant subditi Episcopis. Hæc huicque *Navarrus*. Ita apparebit, si legatur *cit. capitulum penultimum*, quod incipit: *in singulis*; ubi præcipitur, ut commune capitulum Abbatum & Priorum fiat, salvo jure *Dioecelanorum Pontificum*; & postea pergunt jura, *quatuor præfides præsent capitulo universo*, ita quod ex hoc nullus eorum auctoritatem Prælationis assumat; & postea, si Rectorem loci Visitatores cognoverint, ab administratione penitus amovendum, denuncient Episcopo proprio, ut illum amovere procuret. Quod si non fecerit, Visitatores hoc referant ad Apostolicam Sedis examen. Denique quod Visitatores, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, visitent, corrigant, & reforment, quæ ad regulam spectant, significatur in eodem *cap. penult. juncta Gl. v. vico nostra*.

Quæritur tertio, Si Canonici Regulares, aliive Monachi non mendicantes, v.g. Cistercienses, Carthusiani, Præmonstratenses, Generalem seu unum caput totius Ordinis habeant, num de monasterio in monasterium ejusdem Ordinis transferri possint? Resp. inspicienda esse cujuscunque Ordinis statuta, consuetudines, & privilegia Apostolica; nam secundum ea Religiosi horum Ordinum censentur edere professionem suam, prout testatur *Navarr. cit. n. 22.* Quia verò hæc facultas translationis de monasterio in monasterium est contra primariam horum Ordinum institutionem, prout videre licet apud *Navarr. locis supra cit.* Ideò præsumenda non est, neque extendenda, nisi quatenus statuta, vel privilegia clarè significant. Deinde certum esse debet, hanc translationem non posse fieri pro libitu, aut sine causa necessitatis, vel utilitatis, cum hoc ipsum tradat *Navarr. cit. n. 22. de Ordine Prædicatorum*, qui unus ex mendicantibus est, & probat ex libro instructionis officialium ejusdem Ordinis, ubi dicitur, quod ad Generalem pertinet transferre fratres de Provincia in Provinciam, prout iustitiam Ordinis, vel fratrum transferendorum; & subditur, licet Magister habeat plenam, & generalem potestatem in Ordine, tamen nunquam est ei utendum hujusmodi plenitudine potestatis, ubi causa rationabilis non occurrit; ex quo *Navarrus* ibi colligit, Generalem vel Provinciale Ordinis mendicantis non posse talem translationem facere pro libitu, itaque multo minus Generales, aut Visitatores Ordinis non mendicantis.

At verò in Societate nostra quædam sunt peculiaria juxta proprias constitutiones à Sede Apostolica approbatas, videlicet, quod homines Societatis ratione vocationis, & instituti sui parati semper esse debent, ad discutendum per quasvis mundi partes, quod fuerint à Summo Pontifice, vel Superioribus suis missi. *p. 6. constitutionum c. 3. & 9.* & ob eam rem Professi omnes speciale votum Pontifici edunt; item quod Ecclesiæ

& Domus Professæ in Societate redditus nullos habere possint, Collegia autem bona immobilia, & redditus habere quidem possunt ad Scholasticorum, & Præceptorum sustentationem, ij tamen ad alium usum applicari nequeunt *c. 1. examinis Generalis*, & ideo subsunt dispositioni Præpositi Generalis, ut de eis non tantum disponere possit, sed etiam ex justa causa redditus de Collegio ad Collegium, cum Societatis consensu, transferre, uti videre est apud *Suarez. 10. 4. de religione lib. 2. de prælatis c. 28. n. ult.*

II. Notandum secundò. Si administratio, aut beneficium regulari alterius monasterij professo committitur, aut commissum relinquitur, ij, ad quos facultas committendi pertinet, ea vice privati existunt, & devolutio potestatis fit ad Episcopum, vel ad Papam in exemptis; simile quid habetur in *c. cum in cunctis 7. S. Clerici de electione.*

CAPITVLVM XXXIII. Cum in Ecclesijs.

PARAPHRASIS.

Quando in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata Canonicus recipiendus, vel beneficij aut præbendæ collatio facienda est, absentes Canonici, si id commodè fieri potest, vocandi sunt, nisi consuetudo sit, ut ad talia non vocentur; alioquin verò, quòd in absentia eorum fieri contigerit, ab ijs postea infirmari poterit.

SUMMARIUM.

Utrum ad omnes actus capitulares absentes etiam Canonici vocari debeant, pluribus exprimitur? qua in re multum potest, secundum juris etiam concessionem, consuetudo.

I. **Q**uestio hic tractari debet, utrum ad actus capitulares omnes, etiam qui absentes sunt, Canonici seu Conventuales vocari debeant; in qua re distinguendum, an actus, qui in Capitulo tractandus est, sit electio, an verò alius capitularis actus,

v. g. alienatio bonorum. Quod atinet ad primum membrum, si videlicet sit electio Prælati, Decani, vel ordinatio Canonici, alteriusve beneficiarij, tunc omnes etiam absentes vocari debent, si valdè remoti non sunt, & commodè vocari, & accedere possunt; nihilominus tamen, licet, qui vocari debuerunt, vocati non fuerint, electio, aut collatio rata est, dummodo duæ partes Capitularium, ex ijs, qui adesse voluerunt, & potuerunt, præsentès sint, & major pars præsentium consenserit, prout hic docet *Franc. n. 2.* Verùm qui vocati non fuerunt, agere possunt de contemptu, & petere, ut electio sine ipsis facta rescindatur, prout hic dicitur, & docui in *aisp. de Prælatis q. 86.*

Excipitur primò. Nisi alia sit consuetudo Ecclesiarum, nam in forma, & modo electionis instituendæ, consuetudinis præscriptæ rationem habendam esse, indicatur in hoc cap. & tradit expressè *Gl. hic v. ff. commodè. Rota Romana in decisionib. antiquis, ubi de consuetudine decisionis 11. n. 1. Cardinalis Tuscus tom. 2. practicarum conclusionum v. electio concl. 60. n. 10.*

Excipitur secundò. Nisi receptio Canonici à Capitulo fieri debeat, ad mandatum Superioris; hoc casu sufficit, si duæ partes, vel major pars Capituli congregati id faciat, secundum *Lapum hic n. 2. Anchoran. n. 2. Dominicum versu, quæro an in quibuslibet.* Quòd si aliqui hoc in casu vocati non sint, non possunt quidem agere de contemptu, verum tamen opponere contra formam processûs, aut contra personam, vel receptum non prohibentur, sicuti ex *Archidiacono Dominico* hic tradit *col. 1.* nam eadem ratione etiam alios actus possunt Capitulares impugnare, quòd illegitimè facti sint in absentia eorum, quippe cum ipsorum tanquam pertinentium ad Capitulum, interfit.

Aliam verò rationem esse aiunt *Lapus, Dominic. & Anchoran.* si Superior beneficij collationem fecerit, atque Capitulo mandet, ut exequatur, & possessionem tradat;